DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

1247

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM DIE JOVIS XVIII. FEBRUARII.

M. CLAUDIO DE QUANTEAL Doctore Medico, Præſide.

An in febribus malignis, ante pepaſmum purgatio?

INTER innumera, quæ nos ſæpe ſæpius circumſtant incommoda, & noſtræ inſidiantur vitæ, infinitæ propemodum febrium ſpecies, non ultimum locum tenent: cor etenim caloris nativi domicilium, primum vivens & ultimum moriens adoriuntur; unde definitur febris, calor præter naturam, in corde primum accenſus, & per arterias in univerſum corpus effuſus, actiones manifeſte lædens; ex iis quædam adhuc implacabili odio, tanquam hoſtes infenſiſſimi, illud aperto marte oppugnant, labefactant: hæ ſunt quæ febrium malignarum nomine indigitantur; Quæ non modo calore, ſed & qualitate venenata, cor fatigant laceſſuntque: qua ſunt febres, immoderato, & præter naturam ardore, moleſtæ ſunt, in quantum vero malignitatis participes, ſuo jugulant veneno: quod ut plurimum non aliam agnoſcit cauſam, quam inſignem & inſolitam humorum putredinem, ex qua contumaciore, & inexpugnabili, ſymptomatis quam pro more, deterioribus, ſtipatæ procedunt. Nonnunquam ab aëre, prava qualitate conſperſo, ducit originem, quæ quaſi furibunda involat in vulgus, & ſi una cum aëre, inſpiratione tum perſpiratione noſtra ſubeat corpora, ſpiritus, humores, ſingulaſque partes, maligniſſima labe contaminat, quam natura nunquam emendare poterit; cum enim humores ad eum putredinis gradum devenerunt, ut febrem malignam pariant, jam nulla ſpes affulget prudenti Medico, ut illos nativi caloris ope, natura ſubigere poſſit & excoquere. his etiam in febribus, ut plurimum turget ſeroſa illuvies, quæ incraſſari nequit & edomari.

TUNC temporis humores turgere dicuntur, cum per univerſum corpus vagantur, & impetu non conſtanti decurrunt; quos cum natura regere neſciat & continere, præſens imminet periculum, ne in nobilem quamdam corporis partem irruant, vitamque deplorando haud ſatis infortunio præripiant; incertis his motibus maxime ſunt idonei, quia multi ſeri participes, quod cum παχύνεσθαι nequeat, coctionis incapax eſt: nullus enim humor coctione non incraſſatur; ſed licet aliquando in malignis febribus, morbificus humor non moveatur orgaſmo, non idcirco natura ſe facilius expedit, à qualitate venenata, quam generavit inſignis putredo, in humoribus adeo pernicioſa, ut nunquam corrigi poſſit & emendari. Ille putridus humor, eo majorem nobis infert noxam, quo diutius moratur in corpore, partium ad quas appellit temperamentum, eo alterat modo, ipſiſque tantam inurit perniciem, ut quamdiu ſtabulatur, cum calore nativo non alia ratione queat in gratiam redire, quam cum ovibus lupus inire pacem; ſic acetum, vinum denuo non poteſt evadere. Præterea quamvis coctionem admittere poſſet impuriſſimus ille ſuccus, hoc tamen officium naturæ minime eſſet committendum, ſummopere enim metuendum foret, ne morbus antequam matureſceret humor, raperet hominem & ad plures mitteret, ſed longe abeſt ut coctionem perficiat, humorum mole & cachochymia eo gravatur, ut ad eam non ſeſe accingat, nec ſecretionem nec excretionem tentet moliri.

FEBRES malignas ſemper putredo comitatur, & cum eis indiſſolubili ſociatur vinculo: unde multum hallucinantur, qui hecticas & ephemeras febres, malignas reperiri commemorant, ephemera febris ſpirituum eſt ardor nimius & efferveſcentia, citra putredinem, è numero malignarum febrium igitur expungenda; ſicut & hectica, in qua ſcilicet ipſamet cordis ſubſtantia nimis incaleſcit, ſed in male moratis præter incendium & calorem, adeſt adhuc putredo; hinc nunquam (niſi improprie) ephemeræ & hecticæ vocabuntur malignæ. Ut plurimum continuæ ſunt, aliquando tamen intermittentes videre eſt, divino ſeni non incognitas, nempe cum in vaſis à corde longe diſſitis venenum latet, ejuſque vis tanta non eſt, ut appulſu continuo cor feriat; ſed vix ullis diſtinctæ ſunt typis. putredinem malignarum febrium cauſam conjunctam, pariunt obſtructiones & infarctus, & quæcunque motus & commeatus libertatem intercipiunt, caloremque peregrinum ſuſcitant; talis eſt plethora tum ad vaſa, tum ad vires, in illa enim ſpatij defectu, motus ſanguinis interturbatur; in hac vero cum ipſi toti regendo impar ſit natura, quidquid ejuſdem, ſpirituum irradiatione beari nequit, computreſcat neceſſe eſt; aliæ poſſunt eſſe cauſæ, ut aquæ ſtagnantes, fruges putridæ, & id genus infecta tabo pabula, ad quæ ſi acceſſerit aëris inquinamentum, vel à cadaverum ſtrage, vel ab inferioribus baratris obortum, exitialium febrium parens putredo conſurget, qua ſemel humores infecti, frequenter orgaſmo ſemper qualitate pernicioſa, calorem nativum oppugnabunt.

QUOTIESCUMQUE peritus medicus, in febribus, deteriora quam pro morbi magnitudine, deprehenderit ſymptomata, quid latère maligni illico ſuſpicetur, inſidioſæ ſunt hujuſcemodi febres; nam in initiis pulſu non multum elato, & moderata ſiti, benignitatem mentiuntur, ut poſtea crudelius ſæviant, deludant medicum, & ægrum fraudulenter enecent: ad earum cognitionem nos ducent graviſſima hæc ſymptomata, quæ tamen variant, pro vario putredinis gradu, & humoris putridi conditione, ex horum aliis, humoris orgaſmum, ex aliis vero venenatam qualitatem licet ſubodorari. Sine atroci dolore, nec calore vehementi, magna corporis perturbatio atque jactatio, quibuſdam modo hanc, modo illam partem ſummi dolores torquent, à primo morbi inſultu maxima virium jactura, abſque ulla evacuatione prævia, ſtatim altera facies, ut poſt unam diem vix ægrum agnoſcas, ſegnities totius corporis, mentis hebetudo, convulſiones, tremores, lipopſychiæ, cordis palpitationes, nonnunquam ſudatiunculæ, nihil niſi cadaveroſum olentes, cutis etiam exanthematis lividis, nigris, viridibus, cæruleis, deturpatur. Miſera hac in calamitate, nulla nos recreat ſpes futuræ criſeos; cujus eventu fæliciori, poſſit ægrotus liberari, cum enim vegeto dumtaxat naturæ motu, & favente cœlo conſentientibus, eveniat, quando vires effætæ jacent & languent, illam nullo modo poteſt abſolvere, nec tandem fieret bonis ægri rebus, cum ad perfectam ſalutaremque criſim, abſolute neceſſaria ſit humorum concoctio.

NON bene ægroti ſaluti conſulunt, qui potiones (quas vocant cardiacas) exhibent, ex theriaca, confectionibus de hyacintho, alkermes, in aquis ulmariæ, cardui Benedicti diſſolutis; quæ eximio ſuo calore putredinem augent & incendium, & qui ea præſcribit, morbum acuit, & ſymptomata reddit graviora, quæ mitigare conſilium erat; valeant quoque arabum deliramenta, os de corde cervi, Bezoar, lapis lazuli, margaritæ, bolus armena, lemnia, & ex gemmis fragmenta pretioſa, ſexcentæque aliæ pecuniariæ machinæ, quæ ad vitalem vim roborandam nil poſſunt. Nullum præſtantius cardiacum reperies quam medicamentum purgans, quod humorem putridum, cor lancinans & convellens, caloremque nativum pænitus devaſtans educendo, illud maxime reficit & recreat; & quidquid exhibueris illud nullo modo vindicabit ab injuriis pravi illius ſucci, quamdiu in corpore reſtitabit. Sed purgationem præcedere debet miſſio ſanguinis, pro ætate & viribus effundendi, ut natura oneris parte levata, promptior evadat & alacrior, ad id quod reliquum erit excutiendum; & ut obſtructiones & infarctus, ſine quibus putredo vix generatur in viventibus, reſerantur & expediantur, ſicque natura quidquid fuerit veneni, facilius eliminet & ejiciat; adjuta cathartico medicamento, quod hic præſentiſſimum eſt remedium, cujus ſubſidio ſi deſtituatur æger, labatur, & certiſſimæ occumbat morti neceſſe eſt; neque enim concoctio eſt expectanda, quæ futura non eſt, & cum ſemper metus impendeat, ne deterior morbus evadat, aut ægrum ante ſtatum jugulet: licet cruda ſit materia, ea tamen purgatione demenda.

Ergo in febribus malignis, ante pepaſmum purgatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Iacobus Meneſtrel.	*M. Ioannes Grout.*	*M. Germanus Preaux.*
M. Carolus Briſſet.	*M. Petrus Pourret.*	*M. Franciſcus Blondel.*
M. Nicolaus Rainſſant.	*M. Antonius de Caën.*	*M. Iacobus Renaut.*

Proponebat Lutetiæ JOANNES CORDELLE, Hamus, A.R.S.H. 1672.